DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
[H]YDROPE ARTICULATIONUM

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRAESIDE

CAROLO FERDINANDO GRAEFE

[PR]OFESS. CHIRURGIAE PUBLIC. ORDINARIO IN UNIVERSITATE [LI]T. BEROLINENSI, SUPREMO IN DIVISIONE EXERCITUS BORUSS. [CHI]RURGORUM PRAEFECTO, ORDINIS CRUCIS FERREAE EQUITE, [LE]GIONIS HONOR. DECURIONE, ORDINIS RUSSICI ST. ANNAE IN [CLA]SSE SECUNDA, SUECICI WASANI, RUSSICI ST. WLADIMIRI IN [CLA]SSE QUARTA EQUITE, INSTITUTI REG. CHIRURGICO-CLINICI [DI]RECTORE, SERENISSIMI DUCIS ANHALT-BERNBURG A CONSILIIS [INTIM]AE, MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORE, PROFESS. ORDINAR. [IN] REGIA ACADEMIA MILITARI MEDICO-CHIRURGICA, REG. SO[CIE]TATIS FACULTATIS MEDICAE PARISINAE SODALI PER EPISTOLAS [OR]DINARIO, SOCIETATIS REG. SCIENTIARUM GÖTTINGENSIS, [SOC]IETATIS PHYSICO-MEDICAE ERLANGENSIS, SOCIETATIS NATUR. SCRUTATORUM HALENSIS, ALIARUMQUE SODALI.

DOCTORIS MEDICINAE HONORES CAPESSITURUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

[T]HEOPHILUS IOANNES HENRICUS TAAKS

FRISO-ORIENTALIS

DIE XXII. MARTII MDCCCXV.

H. L. Q. S.

BEROLINI,

TYPIS CAROLI AUGUSTI PLATENI.

PATRI OPTIMO

IOANNI HENRICO TAAKS

QUI NORDAE MUNERE ECCLESIASTICO

FUNGITUR

AD CINERES USQUE PIE COLENDO

HASCE

STUDII ACADEMICI PRIMITIAS

SACRAS ESSE CUPIT

AUCTOR.

DE HYDROPE ARTICULATIONUM.

Prooemium.

Articulationes variis compositae sunt organis; quae cum non solum rationem, qua humana natura externa conjungitur cum interna, exhibeant, et praeterea morbis, quibus organismus universus (v. c. in rheumatismo calido et arthritide regulari febrili) affligitur, peculiaribus et ex inquilina eorum natura scaturientibus subdita sint, sed etiam molem corporis totam maxime sustinendo, perpetuis vehementissimisque motionibus et quovis impetu externo propter situm ad extremitates afficiantur: mirum haud videtur, articulationes, cum morbis multis variisque succumbant, medici curam atque diligentiam mereri. Sed experientia edocti facile nobis persuademus, rem, de qua hic agendum, parum inquisitam esse; atque exempla, quorum multa articulationum morbi insanabiles afferunt, non modo homines incommoditatibus et doloribus afflictos maximis mortem saepe obire ma-

turam; sed etiam notionem, quam de articulationum morbis et de arte illos depellendi effinximus, non modo non perfectissimam, sed ne satis quidem cognitam esse, plane arguunt. Itaque operae pretium mihi videtur de articulationum hydrope verba facere. Primum morbis, quibus articulationes potissimum affligantur, explicandis; deinde autem maxime hydropi articulationum pathologice atque therapeutice tractando, operam, quoad potuero, impendam.

§. I.

Iam in eo sum, ut universe pertractem morbos, quibus articulationes affici solent, quorum contemplatione id, quo illi morbi ab hydrope articulationum evidenter discernuntur, perlustrandum est.

I. In anchylose extremitates ossium concretae sunt tam arcte, ut nunquam flecti possint. Suspenso gradu morbus nascitur, et ex morbo universali organismi ortus plerumque invadit articulationes plures.

II. Quamquam in anchylose spuria ossa, quae formant articulationem, non in unum concreta sunt, tamen articulatio mobilitatem plus vel minus eo perdit, quod capita articulationis ossium, arthritide, rheumatismo aut rhachitide tumescunt, quod articulatio leniter luxatur, quod vitium non sanatum, quod articulatione ad unam partem longe sita capsulae articulationis, aponeuroses, tela cellulosa, et cetera or-

gana, ab una tantum parte sese contrahunt, vel eo, quod in iis materia fibrina, salia phosphorata et uretica deponuntur, quae liberam mobilitatem impediunt. Quod non solum ex iis, quae progignunt, caussis facile intelligitur, sed etiam eo, quod mobilitas quaedam superest viris alienae, quae articulationes movet.

III. In luxatione articulationum ossa a situ normali inter se invicem declinata sunt. In luxatione completa est recessus ossis e proprio sinu et loco in alienam sedem, motum arbitrarium impediens; in luxatione incompleta contra os ex articulo suo non plane excidit. In distorsione articulorum partes situ aut figura peccant, sed brevi tempore in situm normalem reclinatae sunt, et partium quae formant articulationes phaenomena indicant ultra naturalem tonum extensionem. In luxationibus vehementissimis, in iis quae summa violentia ortae sunt, et quibus caput ossis e cavitate profunda detorsum est repentine, plerumque capsularum ruptura adest.

Luxatio oritur aut vi externa, quae ejicit caput ossis e cavitate sua, aut saepius musculis, qui articulationibus proximi sunt, aut ab una tantum parte agitantibus, humore in cavitate articulationis accumulato, quo nimis parva ipsa redditur, et ossis caput e cavitate exprimitur, aut denique capitum articulationis tumore, quo articulationis cavitas nimis parva efficitur. Quod exemplum, licet perperam, luxatio spontanea appel-

lata est. Quocunque etiam modo luxatio oriatur, semper illam sequitur articulationis inutilitas; quisquis motus articulationis vehementissimis doloribus est conjunctus. Luxatio ipsa intelligitur ex declinato situ, ex ossis capite in cavitate articulationis deficiente, et eo, quod membrum nullo modo moveri potest, et ex vehementissimo dolore inflammationeque, quae malum illud sequi solet.

IV. Diastasis anchylosi contraria ossium, immobiliter combinatorum, seu per raphen, harmoniam, synchondrosin, seu per gomphosin unitorum, separatio est vitiosa. Sed de morbo illo, cum articulationibus minus mobilibus proprius sit, pauca faciam verba.

V. Articulationum inflammatio ex quavis, cui exposita est, vi oriri poteſt v. c. ictu, lapsu, percussione, vulneratione etc., porro nimia intentione, contusione et saepissime etiam impetu, quo non directe articulatio, sed modo extremitas ossis aversi concutitur, cujus caput articulationes suas formandas juvat. Saepissime autem inflammatio nascitur ex distorsione, e morbis generalibus, ex arthritide, rheumatismo, ex male solutis exanthematibus, et ex multis aliis. Formae generales quibus inflammationes apparent, et in his inveniuntur. Articulatio dolet, nec moveri potest, tumescit, cutis rubescit, calor per totam articulationem maxime augetur ad summum inflammationis gradum, accedunt insomnia, passiones nervosae, et febris vasorum.

Inflammatione in corpore juvenili atque robusto per caussam mechanicam et violentam orta, vel in evolutione exanthematum acutorum v. c. variolarum, morbillorum, scarlatinae, symptomata valde manifesta sunt; inflammatio celeriter progreditur per stadia sua diversa, et inclinat ad suppurationem, quin ad sphacelum. In suppuratione imminente evehuntur symptomata inflammationis ad summum gradum et in quibusdam articulationis partibus manifeste sese indicant; quae tumescunt, et in medio mollescunt, cutis earum nitet, et tenditur, epidermis foliatur, et pus multis locis prorumpit. In aegrotis debilioribus v. c. in cachecticis, scrophulosis, syphiliticis et rhachiticis, ubi morbus ex arthritide vel ex exanthematibus male sanatis oriebatur, inflammatio fit lentior. Dolores sunt leniores, et clariores habent exacerbationes atque remissiones. Tumor mediocris est sicut calor, status universalis febrilis est asthenicus, et morbus inclinat ad commutandum formationis organorum processum, quae articulationes formant, et ad tumefaciundum extremitates ossium et articulationum capsulas, ad effusiones in telam cellulosam, quae obtegit articulationem, aut ad ipsam articulationis cavitatem. Interdum hic accedit suppuratio, cujus progressio tardissima, et facile propagata, morbo adfectum in hecticam perniciosam ruit.

VI. Inflammatio chronica articulationis capsularum est illud malum, quod scriptores sub voce tumoris albi rheumatici plerumque de-

scripserunt. Saepe autem nascitur arthritide et rheumatismo chronico, interdum etiam violentia externa. Quod malum plerumque invenitur in genu, nec non in pedis et manus interdum articulationibus. Ex initio adsunt dolores vehementissimi qui articulationem afficiunt, et haud raro propagantur per tendines articulationum proximarum. Articulatio efficit tumorem elasticum, et aegrotus plerumque membrum oblique tenet. Articulatio valde tumet, et supra et infra tumorem evanescit. Sensim sensimque venae in cute articulationis tumescunt, inflammatio et suppuratio chronica oriuntur, et fistulae fiunt, quae inter se ipsas non conjunctae sunt. Initio morbi ossa non capiuntur, sed omnes partes molliores mutantur in substantiam albam et callosam, deinde vero suppuratio complectitur ipsas articulationis partes duriores, unde fit caries, et in eventu prosperrimo anchylosa.

VII. Inflammatio chronica capitum articulationis, quae haud raro vocatur tumor albus scrophulosus, modo est re vera scrophulosa, modo metastasis post exanthemata, modo autem originis arthriticae vel rheumaticae. Saepissime malum in genu invenitur, nec non in spina dorsi, ubi format gibbum Pottii. Primo partiuncula capitis articulationis dolet, deinde autem dolor augetur, et totum articulationis caput manifeste tumescit. Ipsa extremitas contabescit, ex quo clarius articulationis tumor intelligitur. Quo in gradu malum diu persistit,

sed interdum etiam articulationis partes molliores arripiuntur. Inflammatio oritur, tumescunt, cariosae fiunt, et particulatim, in suppurationem transeunt, foramina in cute efficiuntur, quibus exploratur permagnam ossis partem cariosam factam esse. Quod malum perniciosissimum est, nec arte nec natura ad prosperum exitum evehitur.

VIII. Corpora aliena interdum in articulationibus procreantur, quae maximam partem ossea sunt natura. Quamquam una tantum ejusmodi formatio plerumque invenitur, tamen sunt exempla quae viginti vel triginta praebeant. Non solum in articulatione genu, sed etiam in aliis nascuntur. Quum paroxysmos excitent vehementissimos, medici diligentiam maximam merentur. Saepe aegrotus sanus esse videtur, sed improviso dolore vehementissimo victus in terram ruit, nec audet rursus imponere pedem morbosum. Sed sensim sensimque cessat dolor, imponere potest aegrotus pedem, et per singulas saepe hebdomades non turbatur. Corpus alienum si ingressu perveniat in ossium extremitates sibi adversas, eas premat et doleat necesse est; dolor atque pressio cessat, si corpus in cavitate articulationis capsulae se occultarit.

§. II.

Quid est hydrops articulationis?

Ut in cavitate quavis, corpore sano, aqua irrigata, sic in articulationibus humoris nimia

accumulatio universe appellatur hydrops. Aqua licet sub quacunque hydropis specie acervetur, tantum tamen abest, ut pro unius morbosi status symptomate habeatur, quin potius plurimorum morborum conditione et natura inter se repugnantium signum esse videatur. Recte igitur non factum est, si diversae hae conditiones pro iisdem ducantur. Jure et rei convenienter hydropes ad vitalitatem anomalam eorum esse revocandos organorum credo, quae ad nimiam aquae copiam occasionem praebent. Processus morbosus si in eo organo nascitur, quod exhibet saccum seu cavitatem occlusam, aqua ibi accumuletur necesse est; si autem procreatur, ubi foramina adsunt, ea ratione, qua formatur, aqua vel tardius vel velocius abducitur. Membranae synoviales superficiem articulationum internam obtegunt, secreto humore laevam atque lubricam conservant, et pro plurimis articulationibus membranam capsularem formant; atque haec secretio productum est vitae, membranae synoviali propriae. In statu c. h. sano, synovia albuminosa, tenax, viscida et sapore subsalso. Itaque synovia similis est sero, sed magis tenuis et oleosa, ac non tantopere acidis et spiritu vini commixta, vel vaporata coagulatur. Calefacta et spiritu vini commixta, cogitur. Decoctum gallarum, granatorum vel chinae mutat in gelatinam, quae inspissata admodum est friabilis. Aqua fortis, spiritus nitri et sulphuris, solutio aluminis, saechari saturni, et hydrargyri sublimati corrosivi, synoviam coagulant. Kalia paululum eam inspissant. Quam secretionem

cum vita membranarum synovialium producatur, quaevis illius vitalitatis mutatio, diversissimam, mox tenuiorem mox densiorem reddat, necesse est. Natura secretionis in statu sano paululum ab chemicis illustrata esse videtur sed multo minus adhuc conditio chemica secretionis anomalorum, cui organa secretoria variis in morbis subjecta sunt, intelligitur. Conditionem membranarum synovialium morbosam, quae nimiam et in qualitate forsan anomalam synoviae secretionem efficit, articulationis hydropem appellamus. Atque symptomatibus, quibus indicatur, et caussis externis, quibus excitatur, commemoratis, naturam et essentiam, quantum valeam, diligenter describam, et variis hydropem articulationis sanandi methodis exploratis, nova quaedam, ut credo, specimina edere audebo.

§. III.

Symptomata omnia, quae initio hydropis articulationum apparent, earum vitalitatis anomaliam indicant. Copia humoris aquosi in articulationibus intelligitur ex propriis articulationi morbosae symptomatibus; quae partim e prima vitalitatis anomalia eorum, quae formant articulationes, organorum oriuntur, partim ex eo, quod aqua in cavitate accumulata mobilitas impeditur. Aegroti observant initio in articulatione varias sensationes morbosas. Quae interdum minus excultae ut pressio vel ut lenis dolor in articulationibus se ostendunt, quiete

remittunt, saepe etiam intermittunt, et post aliquod tempus renovantur. Inflammationem membranae synovialis acutam si sequitur hydrops, jam initio vehementes sunt dolores, et remittunt paululum hydrope formato. In inflammatione autem non admodum acuta, in homine cachectico, et ubi morbus passione totius organismi chronica formatur, v. c. in srophulis, in raachitide, initio saepe tam levia sunt symptomata, ut non cognoscantur, vel ad summum aegroti detrimentum habeantur pro illis, quae incrementum celerrimum comitantur. Infelicissime autem aegroto consulitur, si malum a vi externa ortum pro luxatione vel fractura habitum, motionibus violentis et extensionibus articulationem reponere incipias, quo malum admodum augetur. Vera morbi diagnosis in stadio primo eo saepe difficilior fit, quod non morbosa, sed proxima articulatione symptomata anomala praecipue ostenduntur. Quo in primo morbi stadio generalia articulationis tegumenta conditione sunt normali, nisi caussa, quae membranam synovialem morbosam reddidit, ea ipsa inflammarit. Articulationis calor plerumque major fit tenso synovialis membranae morbo; minor autem est malo lente, non violentia externa orto, maximus denique membrana synoviali inflammata. Jam in hoc morbi gradu aegrotus articulationem morbosam recte movere nequit; quavis in motione saepe crescunt dolores, interdum vero sine magno et perpetuo dolore moveri possunt; sed redeunt majori cum intensitate in quiete. Tumorem hoc stadium

morbosae articulationis non ostendit, nisi et aliae partes ob eandem caussam simul laesae sint. His prodromis majori vel minori temporis spatio praegressis, sensim sensimque intumescit articulatio. In iis autem articulationibus, quae magis interne positae vel musculis majoribus circumdatae sunt v. c. in articulatione ossis femoris, tumor haud facile videtur. Quae tumescentia non totum occupat articulationis ambitum, sed cavitatem solam. Id eo jam apparet, quod tumescentia formam articulationis cavitatis assumit, et amplitudinis gradu tantum ab illa dignoscitur, et ibi magis extenditur, ubi non partibus firmis et duris prohibetur. Plerumque initio hic tumor manifestam ostendit fluctuationem, unde affirmatur, eum nimis accumulata humoris copia formari. Sed interdum videtur morbosa secretio plus materiae albuminosae, gelatinosae, vel fibrinae continere, quae majori vel minori gradu coagulata, fluctuationem manifestam impedit. Simulac vero hydrops, qua diximus ratione oritur, remittuntur initio dolores, non aliter ac in iritide symptomatum violentia diminuitur, si morbus transformatur in hydrophthalmum. Quantopere humoris secretiones et aliae plus vel minus similes morbo inserviunt solvendo, tantopere nocent, fluido non abducto, sed in articulationis cavitate accumulato. Ea febrilis cerebri conditio quae hydrocephalus appellatur, eo saepe perdit aegrotum, quod ejus productum praecipuas cerebri partes deprimit, et ita saepe oculus amaurosi correptus est, quia post iriti-

dem, accumulata aquae copia, retina et chorioidea paraliticae factae sunt; quomodo varia incognita et insanabilis surditas oritur, et ita ille pleurae morbus, qui per crisin saepe copiam aquosi humoris in cavitate thoracis acervat, per suffocationem plerumque aegrotum interficit, quamquam urinae, et in cavitate intestinorum, in nasi superficie, vel in cute externa aucta secretio, varios saepe organismi morbos prospere solvit. Quod etiam in morbo membranae synovialis articulationum videtur. Cum ab omni parte occlusae sint, in articulationibus humor genitus, membranae morbo implicitae humoris copia pressione noceat, inflammetur et suppuretur, continuatim secretione et pressione semper augeatur, necesse est, unde fit, ut hac in membrana necrosis et substantiae decrementum efficiatur, quo foramina facile gignuntur, per quae humor accumulatus in organa vicina profluit, et inflammare et suppurare solet. Quae relata symptomata in formando articulationum hydrope revera invenimus. Copia humoris paululum aucta, agilitas impeditur, ita ut articulationis extensio et flexio valde coerceatur; articulationis rotatio quamquam initio morbi facilis, postea tamen difficilis fit, tota articulatio admodum intumescit, ossa opposita, quae illam formant, distenduntur, et e situ normali declinantur, quod luxatio spontanea dicitur. Qua violenta extensione et pressione continua, organa articulationi proxima afficiuntur, exhibent inflammationem chronicam;

nicam:

nicam; materia fibrina in intervallis exsudata in massam fere homogeneam inducuntur, ubi nec musculum nec nervum nec normalem vasorum et sanguinis et lymphae distributionem perspicias; omnis articulationis mobilitas atque utilitas desinit, pluribus locis suppuratio lenta oritur, cutis quae illa circumvestit livida, sensim sensimque puris pressione tenuior redditur, tandem ejus partiuncula consumitur, foramen fit, quod aegroto per breve quidem levamen facit, sed vitam neutiquam servare potest. Alio loco articulationis idem processus mox incipit, aperiuntur foramina, quorum unumquodque saepe penetrat usque ad articulationem intimam; articulationum capita plerumque nudata et carie affecta invenimus; puris detrimentum maximum est, corporis constitutio universalis magis magisque perniciosior et virium defectio, sudores colliquativi, febris vasorum continua, diarrhoea, insomnia atque omnia genera symptomatum excultae hecticae terribilem aegroti vitam finiunt.

Qualis est conditio membranae synovialis in hujus morbi evolutione a parte somatica? Verisimile quidem videtur, ut anomalam partis ejus dynamicae evolutionem et metamorphoses in plastica comitantur, et anatomiae pathologicae est, easdem metamorphoses ab initio usque ad excultas earum formationes ordine continuo exponere, et ita totum symptomatologiae ambitum finire. Sed pro tempore deficit haec earum expositio, quod et nunc valde de-

sidero. Nunquam adhuc mihi copia facta est, anatomiam articulationis primo stadio hydropis laborantis instituendi; idque ab aliis esse factum ignoro. Secundum analogiam, quae inter membranas synoviales et serosas inest, existimem, synoviales etiam membranas in articulationum hydrope ita intumescere, eundem colorem argenteum et sanguinis rubri vasorum evolutionem accipere, sicut in membranis serosis conspicimus, hydrope afflictis. Facta desunt, quae declinationes chemicas humoris in hoc morbo procreati illustrent. Ille vero humor mihi videtur iisdem, quibus humores in hydrope membranarum serosarum accumulantur, subditus esse differentiis, quae mox praevalentem albuminis, mox gelatinae, mox fibrinae materiae copiam continent. Quarum autem differentiarum quae ex declinationibus anomalae eorum organorum vitalitatis oriuntur, natura adhuc innota est.

§. IV.

Caussae, quae ad articulationum hydropis evolutionem occasionem praebent, partim sunt ponendae in externis viribus noxiis, partim vero in totius organismi conditione morbosa, quae ostenditur in articulationibus, quas morbosas et tam abalienatas reddit, ut noxia quadam vi externa facilius et vehementius in functione vitali prohibeantur. Ad caussas, quibus morbus oritur, externas, quaelibet violentia mechanica pertinet, quae articulationem tangit, v. c. ictus,

concussio, lapsus et alia. Lapsu in trochantere majori ita morbus infantibus saepe oritur in articulatione femoris. Interdum malum est residuum ex praecedente luxatione vel subluxatione, qua articulationis capsula vehementer erat adfecta. Malum haud raro post fracturam, ossis articulationis proximae initio ignoratam, et ad artis regulas non sanatam oritur, et praecipue si alii accesserint morbi, qui ad illius morbi evolutionem idoneum reddunt. Quaelibet vulnerationes, quae aut regioni articulationum, aut iis ipsis occurrunt, eum morbum producere et velociter ad magnum et saepe lethalem gradum excolere possunt. Si ipsam articulationis cavitatem penetrarit violentia, et er accesserit, membrana synovialis inflammari, intumescere, dolere solet, et synoviae secretio valde augetur. Quod secretum initio, antequam desorganisata est articulatio, cum humoris conditione normali convenit, et quod copiam attinet tantum alienatum; sed in secretionis incremento et normalis humoris conditio mutatur, colore albo, majorem albuminis copiam continere, et puris naturae appropinquari videtur; intumescit membrana synovialis, pars jam necrotica facta secernitur panniculatim. Magis periculosum si vulneratione simul corpora aliena v. c. glandes plumbatae, vestimenta, ossium festucae etc. in articulationem invadunt, quae continua membranae synovialis irritatione profusam illius secretionem efficiunt, quae nisi corporibus illis alienis remotis non mitigatur. Minime vero in omni articulationum violatione, eam

morbose auctam humoris secretionem invenimus, quo facile intelligitur, ad hujus morbi evolutionem, generalis organismi dispositio accedat, necesse esse. Quod experientia etiam satis nos docuit. Nam in quibusdam hominibus hydrops articulationum, sine ulla externa mechanica vi formatur et saepe summo gradu, et in aliis tam exigua erat violentia articulationis, ut in corpore sano morbum ejusmodi non produceret. Gradum morbi haud periculosum saepe ex universali rheumatismo ortum videmus. Ita in plurimis articulationibus vel eodem tempore, vel sensim sensimque excolitur hydrops. Sed alia est ratio rheumatismi chronici, qui articulationem quandam prae aliis affligat. Sed morbus, crescit eentiori gradu; et pari modo decrecit, nec tam velociter transit ab altera articulatione ad alteram. Qui arthritide afficiuntur, hydrope articulationum facile laborant. Cessante arthritidis paroxysmo; et minoris hydropis gradus evanescunt, aut si restarint, facile tollere possunt remediis apte adhibitis. Quo saepius vero arthritis eandem articulationem occupat, quo magis incompleti paroxysmi solvuntur, quo magis homo est debilis, et aetate confectus, eo pertinacior et perniciosior hydrops esse solet. Morbi universales, quibus processus organismi vegetativus alienatus est, ad hydropem et quidem ad graviores eius formas prae primis inclinant. Constitutione scrophulosa hoc malum saepe efficitur, et ea dispositione quaevis potentia externa facilius hydropem gignit, et ad maiorem gradum protrahit. Unde fit, ut mor-

bum in aetate puerili saepe reperiamus. Exanthematibus normali decursu prohibitis haud raro ad articulationum hydropem occasio datur. Exempla satis multa nos edocent, hoc malum morbillos, variolas, et scarlatinam excepisse, et magna vehementia ad summum evolutionis gradum pervenisse. Utrum morbus etiam post exanthemata chronica male soluta v. c. herpetem, scabiem, favum, crustam lacteam et serpiginosam, intertriginem etc. oriatur, parum liquet. Si verum est plurima haec exanthemata organismi esse desiderium secernendi, et si hac cura, morbosum organismi nisum solvendi, natura prohibeatur, per ipsam cujuslibet organismi autocratiam desiderium in alia organismi parte efficitur, et alia, saepe perniciosiora morbi genera producantur, necesse est. Ita saepe hydrocephalum, hydrothoracem, ascitem, ophthalmitidem, surditatem, paralyses diversi generis, morbos nervorum formari, nemo negare potest. Cur non eodem modo et articulationis hydrops oriatur? Si quis opposuerit, scabiem esse morbum localem, responderem, nos ea de re certos non esse. Experientia clarissimorum virorum negatur haec opinio. Plerumque quidem hunc morbum a malo externo locali oriri certum atque exploratum habeo, sed neutiquam semper. Varii autem morbi initio a caussa externa gignuntur, licet locales minime maneant. Variolae vaccineae morbum universalem plerumque non provocant, attamen organismum mutant ita, ut receptivitatem ad contagium variolosum plane perdat. Quae pauca non amplius exponenda

sufficiant, ad sententiam eorum affirmandam scabiem minime semper sine sequelis malis incaute sanari, et ad morbum, de quo hic agitur, interdum occasionem praebere.

§. V.

Periculum hujusce morbi praecipue ex intensitate nascitur. Hydrops articulationis si modo exsistit, et accumulati humoris copia non admodum magna est, sanabilis sub aequa conditione externa, atque methodo recte adhibita haud facile periculosus esse solet. Quem morbi gradum ex levi articulationis tumore, ex mobilitate paululum libera, et ex fluctuatione parva nec semper manifesta facile cognoscimus. Morbo simplici exitus est sperandus prosperior, quam cum inflammatione, suppuratione, vel corruptela ossium articulationi proximorum conjuncto. Quae complicatio, et ob necessariam violentiae externae efficaciam, et ob morbosam totius organismi conditionem, et ob certitudinem, quam tot exempla exhibent, morbos articulationum per se ipsos maxime periculosos esse, admodum mala existimanda est. Quod vero malum articulationis multo periculiosius est, cum totius organismi morbo congruit, per se jam inclinante ad articulationes morbose mutuandas v. c. in arthritide, morbo scrophuloso, syphili, generali humorum dyscrasia etc. Prognosis spectet etiam mali caussas. Prognosis est universe bona, malo potentia locali mechanica vel chronica orto, v. c. lapsu, ictu, contusione,

subluxatione in homine non aegroto. Quae si quem aut antea aut eodem tempore morbo affectum universali tenuerint, prognosin non admodum exploratam habebis, pessimam autem malo vel minima vi externa ingravato, vel ut phaenomenon modo status morbosi corpori cuidam coaliti, habito. Bona est initio, mala autem in morbo inveterato. Principio enim tantum dynamice declinant morbi, progrediente autem malo et processum vegetativum commutant; quae metamorphosis processum morbosum periculosissime afficit. Sed interna et externa conditio aegroti periculum magnopere indicat. Pauperibus autem periculosum est malum, quod plerumque initio parvi existimatum et neglectum, in pejus saepe mutatur. Nam cura, nutrimenta et medicamenta, quibus malum opprimi possit, desunt. Quamquam autem medicus initio ad hunc morbum depellendum multum adferre potest, tamen pravo utens consilio et negligentiae et inertiae deditus, in gradum provocat deteriorem.

Morbi exitus varius est. Malo optime soluto dolores in articulationis cavitate sensim sensimque cessant, tumor imminuit, humoris effusi fluctuatio desinit, articulationis mobilitas et robur regreditur, et morbum perfecte esse sanatum pronunciat. Dolores quamquam interdum remissi, tumor tamen non imminuitur, potius sensim crescit, sensatio fluctuationis magis manifesta fit, ossium extremitates, quae articulationem formant, deflectuntur, et normalis ar-

ticulationis forma, longitudo et utilitas majori vel minori gradu turbatur, licet aegrotus sine vitae periculo per longum tempus hoc morbo laborare possit. Sed morbi decursus rapidior et perniciosior esse solet, aegroto simul malis supra iam memoratis, quae hydropis genesin iuvant, opresso. Quo fit ut dolores aut non cedant (nam valde augentur), aut paululum remissos saepe sine ulla vi externa, sequatur exacerbatio vehementissima, qua omnia morbi symptomata augentur, et aegrotus in perniciem citius adducitur. Quae cum ita sint, raro simplex est morbus, intumescit articulationis synovialis membrana processu vegetationis aucto; humores plastici in illam substantiam effunduntur, et coagulant breviter, gracilemque hanc organisationem eo modo mutuant, ut pristinam structuram cognoscere nequeas. In articulationis ambitu singulae partiunculae inflammantur, et sensim in suppurationem abeunt; foramina nascuntur, quae inter se communicant, tela cellulosa sub corio moritur, quae fili vel panni formis ex foraminibus facile produci potest. Ossa mox corripiuntur, quorum in periostio et substantia inflammatio chronica, tumescentia et necrosis efficiuntur, et per morbum, qui ossibus cum partibus mollioribus est quae articulationem circumdant; permagna oritur suppuratio, qua febris hectica cito adducitur, aegroti vitam finens. Hic est exitus morbi ad summum gradum provecti. Interdum autem bona corporis constitutione, apta et diligenti medici medela, severa aegroti obedientia, bona externa et in-

terna conditione, quae ad prosperam mali curam necessaria est, eventum, licet non optimum, tamen meliorem nanciscitur. Vehementissimi enim articulationis dolores sensim desinunt, puris secretio minuitur, febris hectica cessat, sed articulationis mobilitas perdita est, concrescit articulatio morbosa et anchylotica fit. Morbo si luxatio articulationis efficitur, sub prospera hac conditione, nova interdum articulationis cavitas nasci solet, quae satis magnam utilitatem adfert.

§. VI.

Hydrops articulationum, quamquam plerumque facile intelligitur, saepissime tamen vix cognoscitur. Magis autem in promptu est et initio et cum exsudatio in symptomatum copia valde manifestatur; cum morbosa articulatio non admodum occulta et ab aliis organis obtegitur, et cum verisimilius est, phaenomena ad hujus morbi existentiam referri posse, quia desunt alii morbi, quibuscum nexu caussali conjunctus esset. Difficilior in malo inveterato, in exsudatione parva, in articulatione admodum occulta, et in morbosis partibus vicinis, et si potentiae adversae articulationem affecerint, vel organorum continuitatem vel contiguitatem mutaverint. Quae cum ita sint, omnia symptomata quod ad vehementiam, tempus, successionem, et rationem qua inter se referenda sint, accurate observemus, atque comparemus, necesse est, si in judicando curandoque verum sequi volumus. Malum cum morbosae articu-

lationis luxatione libenter commutatur, et quaelibet manipulatio qua haec opprimi possit, eam in perniciem advocat, quod experientia satis exhibet. Qua in re accurata comparatio phaenomenorum luxationibus propriorum et supra jam commemoratorum secure nos ducere potest. Sed morbo inveterato major adhibenda est cura. Inveterato enim articulationum hydrope, ossium extremitatis haud raro late diducuntur, cui, si nocere nolumus, plurimum consilii et curae adhibendum est. Nec aliter hydrops cum fractura ossis articulationi vicini facile commutari potest. Vis, qua articulatio effiigebatur, cum phaenomenorum, quae ostenduntur, anomalium comparatione, et accurata consideratione eorum, quae ossium fracturas comitari solent, a falsis tueri nos potest. Praeterea certum eſt, et luxationibus et ossium fracturis articalationum hydrops effici posse. Extremitatum intumescentia ossium clare intelligitur ex duritie ipsorum, ex morboso sensu, quo in ossibus aegrotus afficitur, et praesentis tumoris forma, simili morbosis ossium extremitatibus, et ex defecta fluctuatione et symptomatum agmine eorum, quae partim jam supra in ossium morbis, partim in articulationum hydropis descriptione commemoravi. Sed sensim sensimque per articulationis hydropem et ossium, quibus formatur, extremitates morbosae fiunt, quod ex accurata solum totius symptomatum syndrome perscrutatione clare cognoscitur. Articulationum capsularum fibrosarum inflammatio chronica, sicuti etiam earum morbus acutus

perdifficile plerumque a membranarum synovialium morbis discerni potest. Utraque organisatio sese attingit, nec semper nostrum est, phaenomena alterius ab altero bene dignoscere; saepe vis noxia utramque organisationem turbavit, saepe morbum hujus cum illo organo communicat. Interdum ambo simul a caussa generali nascuntur, quae totius organismi declinationi anomalae inest. Quae cum ita sint omnis est adhibenda opera ad perfectam utriusque morbi diagnosin. Articulationum membranis fibrosis adfectis aegrotus dolorem licet majorem, non magis in ipsa articulatione sentit, quam in articulationis hydrope. Quamquam in affectione synovialis membranae minor et obscurior, tamen per totum articulationis ambitum propagatur; atque in membranis fibrosis, licet vehementior et clarior, tamen singulis capsulae fibrosae partibus continetur. In morbo membranae synovialis plerumque magna effusionis copia evadit, quae fluctuatione manifesta articulationis synovialis membranae morbum indicat; quod vero symptoma in fibrosarum membranarum morbis, non tam cito, nec tam perspicuum observatur. Tandem generalis aegroti dispositio videnda est, quae vel magis ad unum vel ad alium morbum inclinat. Scrophuli et rheumatismus morbosam membranae synovialis vitalitatem facile efficiunt; arthritis autem membranarum fibrosarum vitam turbat. In hydrope generalia articulationis tegumenta sero, sed in capsularum fibrosarum morbis prius afficiuntur. Tumor qui ex articulationis hydrope oritur,

formae articulationis cavitatis circumscripte magis adaequat; sed is ex fibrosarum membranarum morbo efficitur, sensim sensimque deorsum et sursum protrahitur; tumor articulationum hydropis elasticus, et generaliter fluctuare solet, membranae fibrosae autem mollis, aut certe serius prorsus non fluctuat, et non ubique, sed potius in partibus suppuratione correptis. Quamvis autem adjuti simus omnibus artibus, quas experientia nos docet, hujus morbi cognitio tamen difficilis est, et summa cura et diligentia tantum, observationem nostram sic adjuvare possunt, ut recte judicemus. Haud raro sanguis per vasa dilacerata in articulationis cavitatem effunditur, quod a secretione sanguinis in hac cavitate, in articulationis hydrope interdum visa, non aliter ac a hydrope ipso articulationis quoad naturam discernitur, et multo aliam curae medelam poscit. Cognoscitur haec effusio sanguinis ex caussis quae eam efficiunt, ex rapidiore et manifesta intumescentia, quae non tam elastica et fluxuosa est, quam in articulationum hydrope, quod sanguis mox coagulat. Corpora articulationi insunt aliena, de quibus jam supra dictum, propria habent symptomata, quibus ab articulationum hydrope facile dignoscenda sunt. Tumores cystici in articulationum vicinia haud raro inveniuntur, et sub forma steatomatum myliceris, et gangliorum conspiciuntur. Sed quibusdam circumscripta sunt limitibus, fluctuatio haud manifesta, et prorsus saepe deest, et si eorum originem spectaveris, mox de natura hujus mali certior factus eris. Ex geneseos

historia aneurismata in articulationibus facile cognoscuntur, nec non ex eorum situ ad vasa majora, ex pulsatione, et circumscripto eorum ambitu, et eo ab articulationis hydrope dignoscuntur, quod initio cessant, vel minora sunt, arteriis, ex quibus oriuntur, supra aneurisma, arcte compressis.

§. VII.

Ex iis jam antea de hoc morbo dictis, facile intelligitur, naturam hujus morbi nec constantem, nec eandem semper esse, atque non solum gradu, sed etiam diverso evolutionis modo, quo malum observatur, varium. Status aegroti universalis in hoc morbo multum ponderandum, quod in cura in primis respiciatur necesse est. Quod si autem malum in constitutione scrophulosa, arthritica, syphilitica, rheumatica, cachectica invenitur, nostrum est ut has generalis in processu vegetativo anomalias regulis therapiae coerceamus; nam ita malum haud raro radicaliter sanatur, vel certe conditio amovetur, quae ad malum constituendum multum valet; nec non amovendis caussis localibus, quibus ad hunc morbum copia datur, celerrima et maxima opera impendenda est. Itaque sunt illa ratione vulnera articulationum apte et celeriter sananda, corpora aliena articulationi insita celeriter amovenda, luxationes reponendae et fracturae ossium articulationi vicinorum apte componendae. Saepissime morbus in corpore sano, juvenili et robusto in primis vi mechanica

et externa ortus initio ita se habet, ut inflammationi se appropinquet, quare, quas therapia ad inflammationes rite sanandas praescribit, regulae diligenter adhibendae sunt. Symptomatibus localibus permagnis, dolore acuto, pungente, comprimente, tumore ingenti, velamentorum externorum aucto et articulationis permagno calore, quavis articulationis motione dolorosa, fibrationibus in pulsu febrilibus, insomnia, ad noctem dolorum exacerbatione, siti intensa, et appetitu cessante, lingua albo tecta, urina rubra et ardente, universales et deinde locales sanguinis emissiones secundum aegroti aetatem, constitutionem, generalium et localium symptomatum vehementiam instituendae sunt. Ut justa sanguinis copia secure emittatur, in brachio optime fit venaesectio. Aegroto adulto XII — XVI — vel XX unciae sanguinis initio sunt emittendae et symptomatibus localibus et generalibus denuo auctis, venaesectiones repetendae. Quibuscum apparatus antiphlogisticus et necessarius conjungatur, quiete habeatur aegrotus, articulationis morbosae situs apte adhibeatur, detur nitrum, ammon. muriat. cremor tartari, et facilis alvi excretio curetur. Nutrimentis neque aromaticis neque animalibus, minime autem vino, sed cibis tenuibus aquosis, aqua vel huic simili potu perfruendum. Sanguine generaliter emisso, et localiter, quantum fieri potest in proxima vicinia morbosae articulationis, per hirudines sanguis non timide extrahendus est VII — XVI — XX hirudines ad articulationem applicandae sunt sanguis libere ex vulnusculis

defluat et spongia in aquam tepidam immersa adjuvandus est. Facta sic evacuatione quiete articulatio locanda, et ita ut non dependeat, sed magis situ erecto firmata sit. Hirudinibus adhibitis, optimum est, articulationem linteo aqua frigida imbuto involvere, quod calefactum aut siccatum statim renovandum est. Quae ratio caute adhibenda est, praecipue vero in hominibus arthritidi vel rheumatismo subjectis. Quo in casu melius est, si recedatur ab hoc remedio et sicco caloreque moderato articulatio contineatur. Si, applicata hac generali et locali medela antiphlogistica, vehementia symptomatum decrescit, vel prorsus desinit, multum inde effectum est. Remanet hic saepe tumor haud acerbus, qui particulatim vel ex toto circumdat articulationem et mollis est, atque saepe extravasatum in ipsa articulationis cavitate formatum sentitur. Qua in re repetitam emeticorum applicationem commendat experientia. Per binos dies emetico levi ex ipecacu, et tartaro stibiato, praescripto, praeeuntis inflammationis residua brevi tempore plane evanescere vidimus. Tunc in primis prosper exitus sperabimus, ubi ad universam aegroti conditionem deminuta vasorum lymphaticorum energia referri potest, quod in hominibus scrophulosis et rheumaticis saepe accidere solet. Illo die ubi aegrotus emetica non accipit, cura valde adjuvatur calomeli et digitali cum opio aut cicuta adhibitis. Quo in casu experientia remedia localia nos docuit, mali oppressionem multum adjuvantia. Frictiones unguento hydrargyri quotidie ad aliquot drachmas

in toto articulationis ambitu, hic non sunt negligendae. Quarum efficacia adhuc augeri videtur admixto spiritu salis ammoniaci volatilis, olei petrae, rusci, terebinthinae, tincturae cantharidum, camphorae, opii, kali et natri carbonici. In hoc morbi stadio interdum effusio humoris aquosi in articulatione praevalet, et experientia edocuit, emplastrum e gum. ammoniaco cum aceto squillitico cocto magnam utilitatem adferre. Massa corio vel linteo inducta ita per totam articulationem applicanda, ut ubique arcte cutem obducat; quae non prius denudatur quam emplastrum sponte solvitur. Diaphoresis profusa tum in cute procreatur, qua emplastrum absceditur. Emplastro delapso etiam tumor imminutus, et repetendum est remedium necessitate urgente. In illis autem hominibus quibus cutis est sensibilior, et ad suppurationem magis inclinat, praecaute utendum est illo remedio. Quae methodus antiphlogistica non solum in robustis et fortibus, sed etiam in debilioribus, scrophulosis et cachecticis morbi initio applicanda est, licet non pari modo. In localium symptomatum vehementia, et in febri etiam sanguis emittatur, necesse est. Sanguinis emissiones locales per hirudines numquam sunt in mali initio omittendae, si symptomatum aliqua vehementia statui inflammatorio appropinquat. Tum etiam prospere adhibentur, si per vim mechanicam vel aliam noxiam denuo in stadium inflammatorium repositum est malum, et in ipsis debilioribus hominibus audacia et certa curae medela multum utilitatem saepe adferre,

ferre, et exitum funestissimum avertere possumus. Proh dolor! morbus in primis stadiis, vel minime vel permale sanatur; inflammatio procedit, et eius residua extravasata in articulationum cavitatibus, extorsiones et luxationes ossium extremitatum, extravasata circa articulationum capsulas, partium omnium quae illas circumdant commutationes in massa inorganica, singulae suppurationes, fistulae, ossium corruptelae et febris hectica remanent. Perdifficilis hic saepe cura, et sanatio plerumque inpossibilis. Morbus hic interdum ad humoris extravasatum in articulationis cavitate spectat, ita, ut partes vicinae non valde commoveantur. Huc pertinet cura iam supra illo respectu commemorata. Malo pertinaci applicatio fonticulorum, setaceorum et cauteriorum, quae ad articulationis latera in cute adhibeantur, lentum resorptionis processum accelerare, et morbum finire videatur. Ab electricitatis immediata in articulatione applicatione eadem utilitas exspectanda, nec non balneum infusorium calidum et frigidum saepe saluti est. Quidam medici proposuerunt articulationis cavitatem aperiendam, qua humor emitti possit. Sed accumulata humoris copia non pro morbo, sed pro eius producto aestimanda. Vulnerationes, quae penetrant in articulationem admodum semper sunt suspectae, et bonum exitum synovialis inflammationis violatione effectae raro exspectari sinunt. Sensu in cavitate articulationis non valde doloroso, eius tegumentis normalibus, ita ut recte speretur, morbum ob processus vegetativi membranae sy-

novialis tarditatem prolongari, tentare possit articulationis morbosae motionibus caute adhibitis, processum vegetativum accelerare, et extravasati resorptionem augere. Eadem methodus est adhibenda, ubi maior extravasati copia in articulationis cavitate, eius ambitus desorganisatio manifestior, et in articulatione vel eius vicinia iam facta suppuratio habetur. Membro quies continua hic praecipue est necessaria, et omnino ab aegroto vitandum, ne pars morbosa mechanice turbari possit. Quae cum ita sint, corporis valetudo universalis plerumque adficitur, plerumque eius conditione morbosa ad hunc gradum producitur, nec raro eiusdem sequelis dispositio morbosa excitatur, et ad morbum efformatur. Ob continuos dolores aegrotus insomnia laborat, appetitum et vires perdit. Nutritio iusta, quae digestioni plane convenit, diaeta carnosa, boni vini et cerevisiae usus, animi hilaritas, et bona cura membri aegroti, damna recreant. Medici est maxima opera eruptionem et efficaciam nocentem corporis morbi universalis remediis optimis solvere, et cum bono regimine, china, naphtha, opio et aliis roborantibus processui vitali debilitato, et virium collapsui mature occurrere. Ratione mali localis medicus varia spectare, atque tentare debet, ut humores profusos ad resorptionem excitet, omnibus illis remediis quae supra sunt iam indicata. Frictiones unguento hydrargyri hic saepe utilissimae sunt, sed videndum est, ne salivatio provocetur, qua aegrotus maxime delbilitari possit. Multum hic quodam iure postulandum ab ap-

plicatione ulcerum artificialium in proxima articulatione. Sed satis magna et bene suppurantia esse debent. Electricitas, frictiones volatiles excitantesque, balnea guttulatoria (Tropfbad) et infusoria (Douche) multum saepe hic utilitatis adferunt. Membrum accurate in quiete locandum, quaelibet eius intentio, et omnis vis mechanica, qua affici possit, diligentissime vitandae sunt, quibus inflammatio semper denuo excitaretur, et anchylosis forsan orta, et hic bene optanda, turbaretur. Suppuratione autem in articulationis ambitu orta, in methodo est preseverandum et emeticis adhibitis interdum eius resorbtio excitanda et promovenda. Quod si non contingit, abscessus sese appropinquat cutis tenuis et deformis factae; focus suppurationis aperiatur lanceola, quo pus defluat, foramen unguento simplici obtegatur et apto membri morbosi situ puris defluxus adiuvetur, necesse est. Nunc quoque est sperandum inflammationem chronicam aliarum articulationis partium, et effusum extravasatum remediis iam memoratis solvi et resorberi posse. Omnia sunt evitanda, quae inflammationem denuo excitent. Omnes iniectiones in puris fontem, illius expressiones, explorationes instrumentis, et linteum quo vulnera implentur carptum, cum summae aegroto noxae sint, amoveri debent. Tela cellulosa in articulationis ambitu morbosa, et potentiis illis saepe temere adhibitis, status morbosus augetur, et ipsa necrosis efficitur. Si per simplicem curae methodum abscessus non fuerit sanatus, puris defluxus auctus, et ichori magis similis red-

ditus, aegrotus debilior factus, et febris lentae symptomata apparuerint, exploratio cavitatis abscessus necessaria est. Sinu sub cute et musculis et longiore extensione invento, ossibus adhuc illaesis, articulationis cavitate adhuc occlusa, articulationis ossium capitibus nondum nudatis et carie adfectis, cultro omnes fistulae una sunt aperiendae. Experientia cum satis edocuerit, quantum in hac re valeat prompta medela, nulla in aperiendis fistulis impedimenta oppugnare debent. Vasa, quae multum sanguinis emittunt, initio comprimuntur, et postea subligantur. Quo modo fit, ut aegroti vitam paullo ante in maximo periculo versantem servemus.

Vulnus autem ingens excisione omnium fistularum saepe natum, leviter linteo carpto sicco explendum est et apte obligandum. Quibus novam vitam, energiam et vegetationem in partibus laesis saepe efficiemus. Vulnus prosperum offert adspectum, bona granulatio oritur, symptomata febris hecticae remittunt, animus aegrotum tenet hilaris, vitae desiderium et appetitus redit, atque brevi saepe fit sanatio bona. Remanet quidem saepe durities in regione articulationis, saepe etiam luxatio extravasato in articulationis cavitate vel intumescentia acetabuli effecta, sed a medico, cum, quod sui est, praestiterit, nemo maiora exposcere potest.

Tela autem non solum cellulosa, musculis et tendinibus inflammatione et suppuratione laesis, sed etiam articulationis ipsius cavitate aperta, et ossium capitibus carie affectis, et aegroto

hectica febre valde debilitato, nil nisi ab amputatione fortasse sperandum erit. Quamquam sunt medici quidam praecipue Batavi et Anglici, qui exstirpationem articulationis morbosae propositam cum successu effecerint, operatio exstirpandae articulationis magnae est periculosissima, difficilis effectu, molestissima et diuturna, et vitae periculum ex sequenti profusa suppuratione adducit; nam raro sanatio fit, quare hic universalis regula esse non potest. Nobis experientia sola persuasit, amputationes etiam malis auspiciis saepius optimo cum successu perfectas esse. Celerrime aegroti vires augentur, et symtomata saepe eveniunt, quae humorum abundantiam bonorum indicant, et parvis venaesectionibus et diaeta frugali tolluntur. Quae experientia satis edocet, quantum fallamur, si, excitanti methodo generaliter applicata post amputationem, prosperum successum efficere credamus.

THESES.

I. Physiologia et pathologia non absolute sed vario tantummodo respectu differunt.

II. Omnium remediorum effectus est relativus.

III. In nullo hydropis genere de sanatione efficienda utique desperandum est.

IV. Non est signum pathognomonicum febris scarlatinae.

V. In morbis exanthematicis febrilibus magis ad febrem sociam, quam ad exanthema respiciendum est.

VI. Curatio palliativa summi saepius est momenti.

VII. Existit cura prophylactica.

VIII. Bubonum discussio omnino suppurationi praeferenda est.

IX. Ignis in usum chirurgicum vocandus est.